



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1719

Titulus XII. Ut beneficia Ecclesiastica sine diminutione conferantur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73957](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73957)

Infertur tertio, quod, ut major pars sic disponere possit circa redditus spectantes ad singulos jure collegii, requiratur imprimis causa pia & necessitas, vel utilitas, quae necessitati comparatur *Gl. in c. cum omnes. v. constitutum. de constit. Abb. in c. ult. h. t. numero 4. Laym. loc. cit. Pirh. loc. cit. notab. 1.* Unde non potest major pars, contradicentibus ceteris, constituere, ut singuli de redditibus pertinentibus ad eos jure collegii contribuant ad faciendam alicui gratiam, quae neque propriae pia, neque necessaria; cum sic cesset ratio, in qua fundatur dispositio illa *c. ult. h. t.* Et quidem requiritur, ut sit necessitas vel utilitas & causa pia ipsius Ecclesiae, cujus Capitulares ad contribuendum coguntur; si enim contributio illa facienda pro opere aliquo pio, sed extraneo, seu tali, quod ad dictam Ecclesiam seu Capitulum non multum pertinet, poterit pars

minor vel etiam unicus se opponere & impedire decretum majoris partis, pretendendo proprium seu singulare suum interesse. *Pirh. cit. notab. 1. Wiestn. h. t. num. 29.* De cetero, quia etiam ad utilitatem Ecclesiae Cathedralis spectat erectio & conservatio seminarium Clericorum, ad hanc dicta ratione statuere poterit major pars Capituli Cathedralis, juxta quod expressè decretum à Trid. *Sess. 23. c. 18. de reform.* quin & posse Episcopum cum majore parte Capituli, non obitante pauciorum contradictione, statuere, ut quilibet Canonicus aliquid ex suis redditibus Ecclesiasticis debeat contribuere ad sustentationem pauperis alicujus Scholaris, resolvit cum Abb. *in c. ult. h. t. num. 1. Barbof. ibid. num. 4.* quod intelligendum videtur, dum is speratur doctrinam suam profuturus Ecclesiae Cathedrali, quae non minus quam Ecclesia universalis viris doctis eget.

TITULUS XII.

Ut Beneficia Ecclesiastica sine Diminutione conferantur.

Quaest. 133. Quotupliciter contingat diminutio beneficiorum, & quid hic veniat nomine collationis?

Resp. ad primum: Diminutio haec generatim loquendo fit quatuor modis; nimirum per impositionem novi oneris, per divisionem, dismembrationem, suppressionem; sub quibus quatuor modis veluti species seu membra aut requisita veniunt beneficiorum unio, annexio, applicatio, incorporatio, subjectio, extinctio. Notandum tamen circa haec, diminutionem aliàs communiter idem sonare, quod dismembratio; dum nimirum, non sublata unitate beneficii pars fructuum ei auferretur, & alteri beneficio applicatur, adeoque distingui à divisione, qualis dicitur, dum ex uno beneficio fiunt duo *Laym. ad c. majoribus de prab. Item notandum, quod illud, quod beneficio imponi potest, esse duplex, reale & personale, reale est, dum pars aliqua reddituum beneficiatum subtrahitur, obligando beneficiatum, ut certam fructuum partem quot annis, aut semel pro semper solvat; personale, dum beneficiatus obligatur. V. g. ut deinceps scripturam praefatam, Theologiam aut Jus Canonicum doceat, Catechismum habeat, plura sacra dicat, choro assistat, simileve quid, quod aliàs beneficio annexum non fuit, praestet.*

2. Resp. ad secundum: Nomine collationis hic comprehenditur praesentatio, institutio, confirmatio & qualibet alia beneficii provisio, ut cum *Garc. de benef. p. 1. c. 6. num. 32. Pirh. h. t. in praebulo.*

Quaest. 134. Qualiter igitur prohibeatur. c. unico. h. t. providere alicui de beneficio cum diminutione, quae fit per impositionem novi oneris?

Resp. Prohibitum esse, & non licere ulli collatori inferiori Papae in ipsa provisione beneficii onus ullum praeter ea, quae in ipsa beneficii e-

rectione seu fundatione ei annexa sunt, imponere, seu collatarium gravare ullo onere reali vel personali. V. g. Reservando sibi vel alteri fructus, aut eorum partem, imponendo pensionem, aut impositam augendo, ut constat ex *c. unio. h. t. juncto c. praebeamus. de censibus. c. si quis praebendas. 1. q. 3. & Concil. Trid. Sess. 25. c. 5. de reform. ubi: Ratio postulat, ut ius, quae bene constituta sunt (puta, in beneficiorum erectione seu fundatione) contrariis ordinationibus non destrahatur. Nimirum, non tantum impositis oneribus derogando, sed & nova non imponendo, juxta declarationem S. Cong. apud Fagn. *in c. significatum. de prab. à n. 3.* Et quidem si exolutio oneris cedit directe vel indirectè in collatoris commodum, suspicio & periculum est simoniae pravitatis. *Laym. in c. cum Clerici. de pactis. num. 2.* Si verò exigatur pro collatione, seu de eo pacifcatur, aut à collatorio promittatur, simonia est expressa, ut cum Abb. *h. t. num. 14. Pirh. ibidem. num. 2. Engels. n. 2. Laym. loc. cit. num. 1.* Qualis tamen non est, si Episcopus, non quidem quae collator, sed quae Ordinarius, non ex pacto, sed per auctoritatem & potestatem suam ordinariam partem aliquam reddituum beneficii vacantis ob justam & necessariam causam reservet, vel etiam pensionem impositam augeat, praesertim ubi majores nunc quam ante fructus ex beneficio proveniunt; licet id cedat aliquo modo in Episcopi conferentis commodum. V. g. ad debita contracta, non suo privato, sed Ecclesiae nomine, solvenda. *Abb. loc. cit. num. 15. & 20. Laym. Pyrh. Engels. LL. cit. De cetero in eo, num id possit licite citra simoniam cum consensu Capituli de jure ordinario, sine privilegio aut licentia Papae, non usque adeo conveniunt AA. Valde probabiliter id negari ab Abb. *h. t. num. 20. ait Pirh. h. t. num. 4. Arg. Rubrica. h. t. & c. ult. 1. q. 3. item Arg. Clem. 2. de reb. Eccles. non alien.* dum ibi unio perpetua beneficii fieri ab Episcopo mensae Episcopali, etiam cum consensu Capituli prohibetur; ea ratione, quod licet in facto proprio seu in suum com-**

modum

modum præstaret, ut Gl. *ibid. v. mensa sua*. Hæc autem ratio locum etiam habet in unione temporali, vel etiam reservatione fructuum beneficii facta ab Episcopo; isque fraudem facere posset post tempus elapsum renovando unionem vel reservationem, & sic indirectè faciendò illam perpetuam, ut Abb. *loc. cit.* Cui rationi non obstat, quòd rem pupilli emere, & sic proprio factò authoritatem præstare possit tutor. *L. pupillus. ff. de auctor. tutor. §. 4.* quia etsi hæc lex locum habeat in contractu oneroso, qualis est venditio & emptio; eò quòd in illo palam celebrato cesset suspicio, non tamen in gratuita donatione; cum in ea semper sit suspicio fraudis, quoties fit ad propriam utilitatem. Wiestn. *h. t. num. 3.* cum Abb. Item probatur hæc sententia Arg. *c. tua nos. de P. S.* ubi impetratum à Papa privilegium, vi cuius vacantium beneficiorum fructus Episcopus ad solvenda debita per biennium posset retinere. Quo privilegio opus non fuisset, si id Episcopo de jure licuisset. Ad quem tamen textum responderi posset, ut Pirh. *loc. cit.* quòd privilegium hoc impetratum à Papa ad majorem securitatem, vel quia Capitulum Episcopo contradicebat. Contrarium nihilominus affirmant Gl. *fin. hic.* Innoc. *ibid. num. 6. & 7.* Holz. *in sum. cod. §. quamvis autem.* & alii apud Barbol. *ad cit. c. unic. h. t. n. 10.* hæc potissimum nixi ratione: quòd cum ex dictis aliove simili justa causa Episcopus possit extinguere beneficium in perpetuum juxta *c. cum accessissent; de constit.* videatur etiam beneficii alicujus pinguioris redditus, saltem quòd ad partem eorundem posset pro tempore aliquo reservare, non quidem applicandos suæ aut capitulari mensæ, aut directè in suum commodum, sed usum; v. g. fabricæ, vel in extinctionem debitorum Ecclesiæ; cum etiam beneficium vacans unire possit beneficio alteri, pro quo Wiestn. *h. t. num. 4.* citat D. Thom. *2. 2. q. 100. a. 4.* Abb. *h. t. n. 19.* Laym. *th. mor. l. 4. tr. 2. c. 18. n. 4.* Eadem ratione potest quidem Episcopus cum Capitulo statuere, ut certa pars fructuum primi anni applicetur ad fabricam Ecclesiæ Cathedralis, similemve pium usum urgente necessitate, non tamen ut applicetur mensæ suæ. Pirh. *h. t. n. 3.* citatis Jo-And. *in c. si propter. de rescript. in 6. n. 5.* & Laym. *ibidem. num. 2.* Vigere tamen in aliquibus Ecclesiis Germaniæ consuetudinem, ut nomine fructuum primi anni eorum portio modica Episcopo solvatur ad ejus proventus augendos ad modum, quo annata solvuntur Papæ, refert apud Pirh. *loc. cit.* Laym. *loc. cit. & l. 4. tr. 10. c. ult. n. 46.* qui tamen addit. *n. 48.* non satis constare, an talis subtractionis horum fructuum nova introductio, quæ consentanea non videtur *§. si verò. cit. c. unic. h. t.* ut nec Trident. *Sess. 24. c. 14.* simpliciter sit per Trid. prohibita; an verò, ne ita accipiantur, ut simoniæ speciem habeat, quasi pro collatione accipiantur, ita Pirh. quin etiam, ut Wiestn. ait ex Laym. hoc decretum Trid. non ubique receptum. De cætero valere consuetudinem, ut fructus præbendæ primi anni expendantur in usum defuncti, habet Pirh. *ad tit. de Cleric. non resident. n. 83.* Azor. *l. 7. c. 7. q. 5.*

Quæst. 135. An & qualiter Episcopus alterve collator pro suis usibus applicare possit fructus obvenientes tempore vacantis beneficii, aut etiam relictos à mortuis Rectoribus?

REsp. Præscindendo à speciali privilegio aut consuetudine rationabili & legitime præscripta, de jure communi id nequit Episcopus, multoquæ magis inferior collator, aut etiam patronus. Fructus siquidem obvenientes debentur successori juxta *c. de present. de off. ordinar. in 6. c. quia saepe contingit de elect. in 6. c. cum vos. de off. ordinar.* ubi idcirco jubetur constitui Oeconomus, qui fructus hos seu redditus colligat, & in opus Ecclesiarum earumve utilitatem impendat (nimirum ubi sic à fundatore statutum, vel consuetudine inductum) aut futuro successori fideliter conservet. Cui debentur ab initio vacationis vi retractiva, utpote cui fingitur ab initio vacationis facta provilio. Lotter. *de re benef. l. 3. q. 21. num. 117.* citans Surdum *conf. 333. num. 23.* & 24. *Sc.* quorum jurium dispositio adimpleri nequiret, si Episcopus non successor aliusve collator illos fructus occupare & in suos usus convertere posset. Dicitur autem: Præscindendo à consuetudine aut privilegio, vi cuius saltem in usum fabricæ Ecclesiæ alianaque necessitate illius Episcopus posset partem horum fructuum defalcare. Quod ipsum tamen etiam accipiendum non nisi de fructibus obvenientibus tempore vacationis, aut etiam de bonis Rectorum mortuorum intuitu Ecclesiæ quasitis (de quibus ex consuetudine locorum testari poterant, & consequenter in quibus ab intestato succedunt proximi consanguinei & hæredes) quæ super sunt solutis defuncti debitis & ministrorum salariis aliisque hujusmodi juxta expressum textum *cit. c. present. §. porro.* & Gl. *ibidem* aliosque DD. Quinimo etiam de bonis aliis de jure communi servandis successori. De cæterò, licet patronus ex redditibus Ecclesiæ vel beneficii, quoties vacat, modicam sibi partem sumere possit, ubi eam sibi reservasset cum consensu Episcopi juxta *c. præterea. de jurep. Laym. in c. sicut. de suppl. negl. Prælator. n. 1.* ut tamen Patronus aliusve jus custodiæ & administrationis in beneficio vacante habentis fructus omnes, etiam regaliorum nomine, percipiat & absumat, nulla consuetudo immemorialis, nullatenus titulo privilegii Apostolici innixa prævalere unquam potest, de quo vide me *in for. benef. p. 2. quæst. 95. à num. 2.*

Quæst. 136. An igitur etiam Episcopus imponere nequeat onus novum personale beneficio vacanti?

REsp. Quamvis id nequeat ut collator, multo minus ex pacto, poterit tamen potestate sua ordinaria beneficio, dum vacat, ex rationabili causa adjicere novum onus (præsertim dum illud fundator positivè non exclusit) v. g. ut beneficiatus ex fundatione obligatus legere hebdomadam unum sacrum, legat deinceps plura, si tamen redditus sufficient, & Ecclesia eget frequentiore sacrificio. Modò tamen hæc impositio vel auctio oneris fiat ante collationem, & ad evitacionem pactionis imponatur onus ipsi beneficio, ita ut ad quemcunque transferit, cum hoc onere transeat. Azor. *p. 2. l. 6. c. 26. quæst. 3.* Laym. *in c. significatum. de præbend. num. 4.* ex Abb. *in idem c. num. 7.* ego *for. benef. p. 2. quæst. 776. num. 2.* An etiam collator alius indirectè imponere possit tale onus, dicendo v. g. nulli postmodum conferam hoc beneficium, nisi habere voluerit catechismum, dubitari potest, eò quòd, præterquam

dum

aut Episcopus non est, careat potestate ita statuendi in bonum Ecclesie, iste modus sic statuendi pactationem aliquam includere videatur. Minus etiam recte ab Episcopo fieri videtur talis impositio novi oneris sine consensu beneficiati post collationem ei factam; cum in jure quæsitio alicui (quale est jam provisi de beneficio fruendi illo sine onere) regulariter præjudicari nequeat. Engels. h. t. num. 2. Zoëf. ibid.

Quæst. 137. An monasterium, cui incorporata parochia, dum in eâ investiri facit Vicarium, non tantum sibi reservare possit annuam pensionem, sed etiam auctis redditibus augere?

Resp. Respondet ex Abb. in c. cum Clerici. de pactis. affirmative Laym. in c. unic. h. t. id tamen intelligendum asserens, si auctio reddituum sit notabilis, & non uno tantum anno, sed pluribus durans, & nisi hæc auctio reddituum proveniat ex industria Vicarii, utpote cui diligentia sua non debet esse damnosa.

Quæst. 138. An resignatio fieri possit, reservatis resignanti etiam omnibus fructibus beneficii?

Resp. Fieri & admitti potest licite resignatio, reservatis resignanti omnibus fructibus, ita ut ad resignatarium solum jus & titulus beneficii transferatur. Azor. p. 2. l. 7. c. 21. q. 1. Paris. de resignat. l. 6. q. 1. num. 2. citans Card. Paris. conf. 39. n. 7. vol. 4. Ferret. conf. 73. num. ult. fitque id licite ex justa causa, qualis est, ut resignans habeat, unde commode vivat, & debita solvat. Azor. loc. cit. Paris. num. 5. qui etiam cum Rebuff. Sarnens. Mandos. dicunt, sic fructus resignanti reservari pro pensione & loco pensionis, quæ solet dari in subsidium vite. Unde tunc, ut Mandos. de annuali. q. 30. num. 1. in supplicatione ponitur: Ut fructus loco pensionis reservare & assignare dignemini. Fieri tamen seu admitti non potest talis resignatio, nisi coram & à solo Papa, qui de beneficiis liberrimè disponere potest in omnibus, quæ non sunt juris naturalis aut divini; cum aliàs de jure communi beneficium dividi nequeat. c. majoribus. de præb. aut etiam cum diminutione conferri; qualiter divideretur, vel saltem cum diminutione conferretur, dum uni jus seu titulus beneficii confertur, alteri fructus reservantur. Quidquid autem fuerit olim circa usum talis reservationis, stante Trid. Sess. 24. c. 13. raro ea conceditur, quin & passim negatur. Vide me de his omnibus accuratius in for. benef. p. 3. q. 418. & 419. ubi etiam qq. seq. in quibus beneficiis fieri solet; an requiratur expressus consensus resignatarii, & alia.

Quæst. 139. An ab eo, qui de novo receptus in Canonicum, pro & in admissione ad possessionem Canonicatus, vel beneficii alterius possit aliquid exigere aut solvi. V.g. aliqua pecunia, fructus primi anni, convivium simileve quid pro Canonicis vel beneficiatis illius Ecclesie, seu in commodum illorum?

R. P. Lewr. Jur. Can. Lib. III.

Resp. Hoc non licere, quin & esse simoniacum non obstante statuto vel consuetudine etiam immemorabili. Arg. c. Jacobus. de Simonia, juxtaque Constitut. Pii V. quæ incipit. grave nimis. & Declarat. S. Cong. apud Garc. de benef. p. 8. c. 1. num. 83. & ipsum Trid. Sess. 24. c. 14. dixi in for. benef. p. 3. quæst. 748. citatis etiam pro hoc quamplurimis; quibus addit Reiffenst. h. t. num. 12. Barbol. de Can. c. 15. num. 24. Antonell. de Regim. Eccles. 4. c. ult. §. 1. num. 4. & alios. Accedit his omnibus novissimè Bulla Innoc. XII. quæ incipit: Ecclesia Catholica. Severissimè innovans illa Trident. & Pii V. Decreta, & consuetudines contrarias omnino abolens. Atque ita jam etiam prohibitum, & sublatam consuetudinem exigendi quicquam à noviter receptis Canonicis convertendum in reparationem bonorum mensæ Capitularis, cum id cedat in commodum aliorum Canonicorum, dixi l. c. n. 2. An autem & qualiter à Trid. approbetur & valeat consuetudo & statutum solvendi quid (absque eo tamen, quod exigatur pro ipsomet ingressu seu admissione) convertendum in usus pios, veluti pro fabrica, & augendo cultu divino, dixi ibidem. Item qualiter stante memorata Bulla Innoc. XII. non videatur subsistere, quod ait Less. passim videre se non servari, quin & ignorari citatam Bullam Pii V. quodque ait Pirh. quod etsi cit. c. Jacobus. reprobetur consuetudo exigendi prandium vel aliud quid temporale pro receptione Canonicorum; hoc tamen passim non observari, præsertim in Ecclesiis Cathedralibus & Collegiatis Germaniæ; id inquam, dixi cit. n. 2. Item qualiter dampari non possit consuetudo tempore receptionis ad Canonicatum dandi aliquid temporale citra obligationem & exactionem sponte ac liberè, nullo pacto interveniente, etiam cedens in usus proprios Canonicorum; cum, quod gratis oblatum, gratanter recipi possit, ut Gl. in c. dilectus. de Simonia. Id, inquam, dixi l. c. n. 3. ubi etiam notavi, quod ex Rebuff. ait Garc. l. c. n. 93. non videri simoniacum, coactè & non voluntariè, quia resisti nequit, dandi aliquid pro admissione ad possessionem; eò quod sit redemptio aliqua vexa. Vide me de his omnibus accuratius cit. q. 748.

Quæst. 140. Quid sit circa annatas solvendas Sedi Apostolicæ?

Resp. Annatæ (quo nomine veniunt fructus primi anni ex beneficiis Sedi Apostolicæ reservatis & ab Eadem impetratis, ipsius Camera persolvendi; & quarum usus est perantiquus, jam à tempore Concilii Viennensis, celebrati anno 1311. ut Paris. de confident. beneficiat. q. 9. num. 61. Nicolarts in Concord. Germ. tit. 2. du. unio. §. 1.) licite ac justè exiguntur citra omnem simoniacæ pravitatis suspensionem, ut boni Catholici omnes contra Guimier. in sua Gl. ad pragmat. sanction. de annal. in princ. v. annatarum. Duaren. de benef. l. 7. c. 3. usum annatarum dicentes simoniacum, & quosdam apud Azor. loc. paulo post citand. valde sordidè & injuriosè Sedi Apostolicæ de annatis scribentes. Utpotè quæ summo Pontifici (etiam, ut ait Delben. de immunit. Eccles. p. 1. c. 8. du. 30. num. 1. ex Azor. p. 2. l. 7. c. 12. q. 1. jure divino, saltem scripto, aut saltem ex eo originem trahente, ut alii, & ut patri in spiritualibus & pastori Episcopoque universalis Ecclesie, ut Delb. loc. cit. n. 2. & 7.) debentur ad sui suæque Curie sustentationem.

K

stenta-

stentationem, aut etiam ad sublevandam Cardinalium quorundam indigentiam, similesque Ecclesie Romanæ necessitates. Et sanè si tanquam plenariam potestatem circa beneficia hæc *c. licet. de prob. in 6.* possit fructus primi anni aut etiam aliquot sequentium pro fabrica Ecclesie, aut Episcopi egentis sustentatione aliove pio opere reservare. *c. à nobis. de decimis. c. si propter. de rescrip. in 6. Sc. &* tanquam omnium bonorum ecclesiasticorum, si non dominus, saltem administrator, ita ut ex causa iusta & rationabili possit uni (relictis ad victum necessariis) tollere, & concedere alteri, etiam sæculari, ut Delb. *l. c. num. 8.* citans seipsum in pluribus aliis locis, & insuper Cajetan. *tr. 2. q. 48. à 8. Molinam. de just. Tom. 1. tr. 2. d. 29. concl. 2. Less. de just. l. 2. tr. 2. d. 1. du. 8. num. 100. Sc.* Si, inquam, id possit Papa, multò magis poterit ex rationabili causa fructus aliquos V. g. anni primi certorum beneficiorum à se collatorum sibi suæque Curie reservare, secus ac alii collatores, quibus talis potestas non est in beneficia & bona ecclesiastica, qui exinde coguntur ea sine diminutione conferre. Idque non obstantè affluentia divitiarum in Pontifice quemadmodum hæc in persona, cui debentur decimæ (quorum loco successerunt annatæ, ut videre est apud me in *for. benef. p. 3. q. 190. num. 2.*) non impedit, quo minus illæ debeantur ex iustitia; ita etiam in Papa ea non impedit, quo minus annatæ illi pergant deberi ex iustitia. Lotter. *l. 3. q. 20. num. 28.* dicens, sic optimè doceri à S. Thom. 2. 2. q. 87. à 4. ad 3. Soto *de just. l. 9. q. 4. à 4. in fine* Monet. *de decim. c. 9. num. 2. & 4.* Unde jam etiam prohibitio Principis, ne in regno suo solvantur annatæ, repugnat libertati ecclesiasticæ, ut Delb. *l. c. num. 1.* Qualiter autem contingat hæc annatarum exctio citra nundinationem & Simoniam ex eo, quòd

non exigantur ex pacto, aut tanquam temporale pro spiritali, sed ex antecesser jam existente lege, quam ferre potuit de iis solvendis citra labem Simonie, ostendi *cit. q. 190. num. 3.* quæ vide; uti etiam quæ dixi. *num. 6.* qualiter, dum plures eodem anno contingunt vacationes ejusdem beneficii annatis obnoxii, non sit solvenda nisi unica annata. Et quòd specialiter spectat Germaniam, patet ex ejusdem concordatis, quòd annatarum nomine de Ecclesiis Cathedralibus & monasteriis exemptis virorum duntaxat solvendæ sint summæ pecuniarum in libris Camera Apostolicæ taxatæ. Ita tamen, ut si quæ excessivè taxatæ sint, relaxentur secundum qualitatem rerum, temporum & regionum. De cæteris verò dignitatibus & beneficiis à Sede Apostolica collatis solvantur mediæ annatæ seu mediis fructibus primi anni unius juxta taxam solitam, & de beneficiis, quæ valorem 24. ducatorum seu florenorum aureorum non excedunt (intellige, nulla etiam habita ratione distributionum ut dixi. *num. 5.*) nihil solvatur, ut expresse habetur in Concordatis. §. 5. qualia hodièdum ex generali consuetudine & stylo Romanæ Curie censentur omnes Canonicatus, præbendæ, dignitates inferiores Germaniæ, Hispaniæ, Belgii, absque eo, quòd contraveniatur regulæ. §. 5. Cancellariæ de exprimendo vero valore in impetratione istiusmodi beneficiorum, ut Branden. *ad Concord. German. post q. 12. notab. 2. & Nicolaris. cit. tit. 2. §. 2.* citans alios, uti & multiplices Rotæ decisi. De quibus omnibus vide me in *for. benef. p. 2. q. 601.* Porro quæ hic tractari solent ab aliquibus de divisione, dismembratione, suppressione, extinctione beneficiorum, vide à me tractata accurate *l. c. p. 3. à q. 246. ad q. 262.* uti & ea, quæ de pensione beneficiis imponenda hic quæri solent, *p. 3. à q. 428. ad 671.*

TITULUS XIII.

De

Rebus Ecclesie alienandis vel non.

§. Primus de nomine Ecclesie & speciebus alienationis, deque personis alienare, & rebus alienari prohibitis vel permissis.

Quæst. 141. Nomine Ecclesie quæ alia loca veniant?

R Esp. Nomen illud in hac materia favorabilè accipitur, ita ut, non tantùm loca sacra, seu, consecratione vel benedictione ad sacrificia aliaque officia divina ibidem celebranda Deo dicata, ut sunt templa, capellæ, oratoria, comprehendat, sed etiam se extendat ad alia quævis loca pia & religiosa ad pietatis & misericordie opera ibidem exercenda vel alia ejusmodi autoritate ecclesiastica constituta aut deputata citra consecrationem & benedictionem Episcopalem, ut sunt monasteria, conventus, congregationes, Xenodochia & hospitalia, quorum res sine solennitate juris alienata prohibentur. *Auth. hoc jus. porrectum. C. de SS. Eccles. Relata. in c. hoc jus 10. q. 2. c.*

nulli. h. t. ubi dicta Auth. approbata & quasi canonizata. Abb. in cit. c. nulli. h. t. num. ult. Laym. th. mor. l. 3. tr. 4. c. 10. num. 1. Delb. de immunit. eccl. c. 17. du. 1. num. 14. Pith. h. t. num. 4. Non verò extendit se ad collegia, congregationes, hospitalia non erecta autoritate Episcopali; cum non censeantur propriè loca pia, multoque minus sacra. Idque, etiam si Episcopus licentiam dederit ibi celebrandi Missam, ut Delb. *l. c. c. 2. du. 2. f. 7. n. 15. & seq.* adeoque eorum bona, etiam immobilia alienari poterunt sine solennitate juris. Delb. *l. c. c. 17. n. 16.* citatis Paris. *conf. 35. Tom. 3. Riccio. Quarant. Redoano. qui etiam. c. 17. idem dicit de capella non erecta autoritate Episcopi. Porro unde in dubio præsumatur, num capella, oratorium, hospitale sint erecta seu fundata autoritate Episcopali, vide apud Delb. *cit. c. 2. du. 2. f. n. 33. & seq.**

Quæst.